Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26346
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uita. Maria enim significat speculum contemplationis.
ioseph minister eius et procurator officium actionis. Sicut
ioseph procurat Mariam. sic actionarii pascunt theori-
cos. obedientiarii claustrales. Hii sunt parentes ihesu.
partem habituri in hereditate salutis. et efficiendi
heredes dei. coheredes autem xpi. Quod si coheredes et pa-
rentes. Nam adoptio quasi quoddam cognationis est genus. Et
ipsi ascendunt comitante puero ihesu in ierusalem. quia ten-
dunt adiuuante ipso ad patriam celestem. Ad quam eos in
hac uita peruenire est posse dicere cum apostolo. nostra conuersa-
tio in celis est. Sed aliquando et actiui et contemplatiui re-
deunt a ierusalem itinere unius diei. quia sepe flectuntur
a celesti conuersatione. amore et appetitu huius seculi. cuius
diuturnitas uix in eo arbitratu uiui dei sit comparanda.
Puer remanet in ierusalem. quia puritas que est semper
in se incolit celestem et diuinam conuersationem. nisi for-
te doloribus suis compatiens descendat nobiscum. sicut
cum matre et ioseph dolentibus postea descendit. et erat
subditus illis. Hinc est quod populi petentis carnes concupi-
scentie condescendit. et carnali appetitui subdidit
optionem. licet horum dolorem. et illorum passionem hominum.
non ignorem repugnanti discrimine sequestrans. Re-
pedantes a ierusalem amittunt puerum. quia recedentes
a uia celesti destituunt gratia prioris puritatis. Quid est
fratres quod Maria perdit ihesum. Intuemini queso quod Ma-
ria perdit ihesum. Ipsa enim dicit. dolentes querebamus.